

*Leistungskurs Bayern 1992*

**Freundschaft setzt menschliche Qualitäten voraus**

*(Cic., Laelius 5,18f.)*

Sed hoc primum sentio, nisi in bonis amicitiam esse non posse; neque id ad vivum reseco (1), ut Stoici, qui haec subtilius disserunt, fortasse vere, sed ad communem utilitatem parum; negant enim, quemquam esse virum bonum nisi sapientem. Sit ita sane; sed eam sapientiam interpretantur, quam adhuc mortalis nemo est consecutus, nos autem ea, quae sunt in usu vitaeque communi, non ea, quae finguntur aut optantur, spectare debemus.

Numquam ego dicam C. Fabricium, M<sup>o</sup>, Curium, Ti. Coruncanium (2), quos sapientes nostri maiores iudicabant, ad istorum normam fuisse sapientes. Quare sibi habeant sapientiae nomen et invidiosum et obscurum; concedant, ut viri boni fuerint. Sed ne id quidem facient, negabunt id nisi sapienti posse concedi.

Agamus igitur pingui, ut aiunt, Minerva (3). Qui ita se gerunt, ita vivunt, ut eorum probetur fides, integritas, aequalitas, liberalitas nec sit in eis ulla cupiditas, libido, audacia sintque magna constantia, ut ii fuerunt, modo quos nominavi, hos viros bonos, ut habiti sunt, sic etiam appellandos putemus, quia sequantur, quantum homines possunt, naturam optimam bene vivendi ducem.

Sic enim mihi perspicere videor: ita natos esse nos, ut inter omnes esset societas quaedam, maior autem, prout quisque proxime accederet. Itaque cives potiores quam peregrini, propinqui quam alieni; cum his enim amicitiam natura ipsa peperit; sed ea non satis habet firmitatis. Namque hoc praestat amicitia propinquitati, quod ex propinquitate benevolentia tolli potest, ex amicitia non potest; sublata enim benevolentia amicitiae nomen tollitur, propinquitatis manet.

*(235 Wörter)*

- 
- |     |                                     |  |
|-----|-------------------------------------|--|
| (1) | ad vivum reseco                     | hier: peinlich genau untersuchen                   |
| (2) | C. Fabricius ... Ti. Coruncanus     | römische Staatsmänner aus dem 3. Jh. v. Christus   |
| (3) | pingui ... Minerva (sprichwörtlich) | mit gesundem Menschenverstand, auf schlichte Weise |